Nam Morelius quidem textum Graecum mutauit locis quibuſdam: [40] quod fecit annis nonnullis poſt ipſe Stephanus in ſylloga carminum poëtarum lyricorum, quae tertium prodiit anno ſexto, et octogeſimo, ſaeculi ſexti decimi, ſenis denis: [41] qua in editione iis odariis, quae Stephanus non verterat ipſe, addita eſt Latina verſio Andreae, nec ſolum numerus fragmentorum Anacreontiorum auctus eſt nonnullis aliis, ſed etiam caſtigationes ipſius Stephani nouae in Anacreontis odas adiectae ſunt. Hoc exemplum Stephani ſecundum expreſſit Aemilius Portus, qui reliquias poëtarum melicorum emiſit, annis duodecim poſt, ex Hieronymi Comelini officina, octonis: ſed omiſit partem quandam auctarii fragmentorum; lectionem duobus, tribuſue, locis mutauit; et verſionem Latinam Andreae totam addidit cum notis Stephani integris, et paucis quibuſdam coniecturis propriis. Atque hoc Porti exemplum reddidere Geneuenſes in corpore poëtarum Graecorum veterum, quod anno quarto decimo ſuperioris ſaeculi adornarunt forma chartarum maxima. Sed textum Graecum, qui in primo exemplo Stephani eſt, retinuerunt fere editores odariorum Anacreontis reliqui omnes vſque ad ſaeculum ſuperius extremum. Nam Eilhardus Lubinus ea Roſtochii edidit emendatiſſime deſcripta, quaternis, anno ſeptimo, et nonageſimo, ſaeculi ſexti decimi, cum verſione Latina noua, eaque metrica, ita tamen, vt nonnullis in locis receperit lectiones exempli Stephaniani ſecundi, [42] cuius ordinem etiam

40. Vid. v. c. odar. 37, 13. 38, 7. 41, 17. 42, 15. 51, 13.

41. Primum exiit A. C. 1560.: iterum A. C. 1566.: repetita eſt, mortuo Stephano, ter a Paulo Stephano A. C. 1600. 1612. 1626. Etiam Antuerpiae carmina poëtarum lyricorum Gr. et Lat. edita ſunt A. C. 1567. 12.

42. Hoc ipſo ſaeculo, A. C. 1577., Henr. Stephanus edidit octonis Anthologiam Graecam, quae praeter epiſtolia, dialogos breues, oratiunculas, aliaque poëmatia, com-